DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA
INAUGURALIS,

DE

HÆMOPTÖE.

QUAM,

PRÆSIDE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris

HERMANNI OOSTERDYK SCHACHT,

A. L. M. PHIL. ET MED. DOCTORIS, HUJUSQUE
THEOR. ET PRACTICAE PROFESSORIS,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*,
& Nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*;

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis
rite & legitime consequendis,

Eruditorum Examini submittit,

ISAAC ELIESER AUGAR, Bitau-Cassub.

Ad diem 14. Augusti 1734. horâ locoque solitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud CONRADUM WISHOFF.

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO,

DOMINO, DOMINO,

A. HENRICO DE CHEUSSES,

GUBERNATORI

COLONIARUM, FLUMINUM, MUNIMENTORUM ET PROVINTIARUM SURINAMENSIUM, QUÆ SUNT IN INDIIS, OCCIDENTEM SPECTANTIBUS, PRÆFECTO COPIARUM, ET PRÆSIDI OMNIUM COLLEGIORUM, ETC. ETC. ETC.

DOMINO SUO BENIGNISSIMO.

Ad ſignificandum cultus & obſervantiæ ſempiternum affectum, huncce chartaceum fœtum

D. D. D.

AUCTOR.



DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA INAUGURALIS DE HÆMOPTÖE.

§. I.



ORganum illud machinæ noſtræ hygraulico pneumataulicum, quod morbo ſedem præbet deſcribendo, Pulmo vocatur. Hujus ergo prius fabrica danda erit & functio, antequam ad materiæ propoſitæ exarationem nervos intendam. Non vero amplam abſolutamque hujus viſceris inveſtigationem ſequentes exhibebunt pagellæ, (lex enim hoc non exigit academica, nec temporis permittit anguſtia), dixiſſe ſufficit, quantum ad Hæmoptöes cognitionem requiritur.

§. 2. Pulmo eſt viſcus, in thoracis cavitate poſitum, quod aërem & ſanguinem per certa vaſa, certum in finem omni momento excipit & expellit. Cum vero viſcus vocetur pars H. C. viventis organica, quæ liquida toti corpori fere communia accipit, mutat, & toti corpori com-

communicat, quare & pulmo viscus vocari meretur.

§. 3. Aeri dicatum vas est aspera arteria. (1.) canalis oblongus, conicus, (2.) nunquam nostra voluntate clausus, (3.) circa quartam in thorace vertebram bifidus, mox ex quamplurimis ramis mobilibus, sibi ad angulos invicem acutos adcumbentibus constructus, (4) in principio & decursu ex segmentis cartilagineis orbicularibus, posteriori parte abscissis, ubique membrana crassa conglutinatis, & vinculo inter se musculoso forti connexis, constans, (5.) ad finem vero non amplius in cartilagineas, sed cœcas, extensiles, ovales, plicatiles, elasticas, & fere infinite parvas membranaceas apices, vesiculas, sive cellulas sic dictas Malpighianas terminans.

§. 4. Duabus fistula hæc (§. 3.) musculosis & elasticis investitur tunicis: (1.) exteriore tenui, fibris longitudinalibus prædita, (2.) interiore, crassiore, retiformi, lubrica, admodum lævi, mollique, glandulis unctuosum humorem secernentibus repleta.

§. 5. Vasa pulmonis sanguifera (§. 2.) *nutrientia* existunt & sic dicta *trajectoria*. *Illa* à *Cl. Ruyschio*, primum bene descripta sunt. (1.) Multifariam naturæ lusum circa arteriæ bronchialis in homine ortum scriptis suis consignarunt, viri in rimandis machinæ nostræ mysteriis indefessi, *Ruyschius* & *Winslow*, quare brevitati studens B. L. illic ablego. Adnectitur dein bronchiis, unaque cum his totum pulmonis viscus perreptat. (2.) Vena ejusdem nominis arteriam comitatur, & vel venam azygos vel intercostales ingreditur. *Hæc, arteria & vena vocantur pulmonares.* Arteria è cordis sinu dextro egressa, in duos ramos divisa, cum bronchiorum ramulis ubique juncta, ultimis suis ramulis vesicularum Malpighianarum (§. 3. *n.* 5.) substantiam, earumque intercapedines reti coronat mirabili, tandemque extremitatibus suis anastomosi infinita in ramulorum venæ pulmonalis definit initia, qui sensim majores facti & in quatuor ramos divisi, sinistro cordis ventriculo inseruntur.

Cum

§. 6. Cum ergo pulmo (§. 2.) ex vasis constet aereis (§. 3.) & sanguineis (§. 5.) ut usum illorum contemplemur ordo requirit.

§. 7. Aër, qui (uti jam alibi à *Boylæo & Mariotto* demonstratus) fluidus, gravis & elasticus est, si in vase conico, ex basi in apicem comprimitur, singula laterum puncta prementur per eam vim, qua pollet altitudo columnæ in singula puncta arietans: cum vero in vase conico ibi sit maxima pressio, ubi maxima columna est, hæc vero cylinder sit, cujus basis est apex, & cujus altitudo est altitudo incumbentis fluidi, patet, quod ad asperam arteriam (§. 3.) quæ ut canalis conicus (ibid. n. 1.) definita, qui ex basi in apicem dehiscit, eadem adplicari possunt, quæ ad dicta. Aër ergo premet in singula tracheæ laterum puncta, juxta columnarum incumbentium altitudinem, omnium maxima vero pressio erit in canalis extremitatibus: his vero cum sint apices membranaceæ, coecæ (§, *ibid. n.* 5.) adpensæ, pressio autem fluidi in omni spatio æqualis sit, facile concipitur has apices extensiles à suo centro æquabiliter distendi, i. e. abire in figuram sphæricam, vel demonstratam à *Bernoullio* sphæroideam, necessario hinc paucioribus se mutuo contingere punctis, & vesicularum augere interstitia, bronchiorum hinc quoque ramos, qui vesicularum propagines sunt, propter dilatationem pectoris extrorsum i. e. ad angulos obtusos pelli, unde inspirationis modus concipitur. Cum vero per diaphragmatis, costarum, & musculorum abdominis motum pulmo comprimatur, vesiculæ aereæ basin spectant latissimam, non compressilem cartilagineam: aër hinc in vesiculis contentus minimam sequitur resistentiam, propelletur ergo versus exteriora, unde bronchiorum rami sibi ad angulos acutos incumbent, & vesicularum superficies se in plurimis contingent punctis i. e. erunt conlapsæ. Cognoscitur sic quid sit exspiratio.

§. 8. Cum ergo in inspiratione (§. 7.) vesiculæ (§. 3. n. 5. §. 5.) aereæ, figuram induant sphæricam (§. 7.) unde

unde inter duas tales spatium augetur, & similis fit bronchiorum, dum ad majores angulos elevantur ratio, in intercapedinibus vero corpora quædam contineantur, quæ vasa sanguinea esse (§. 5. 6.) constat, luculenter adparet quod illa multo majus & liberius spatium nanciscantur, unde sanguis dextri cordis vi, quæ ex demonstratione *Borelli* quam maxima est, ad extremitates propulsus in venarum initia pervenire potest. In exspiratione vero (§. 7.) pulmonibus conlapsis necessario intercapedines, quæ in priori casu amplæ erant, omnium minimæ evadere debent; hinc vasa sanguifera, prius à vesicularum extensione libera jam ab illarum, post aëris egressum, conlapsu, maxime coarctantur.

§. 9. Concipitur hinc facile totus pulmonis effectus. Cum enim in inspiratione (§. 7. 8.) vesicularum spatia intermedia (§. 3. n. 5. §. 5. 7. 8.) successive augeantur; in exspiratione vero (§. 7. 8.) spatia illa successive minuantur, fit, ut inter 2″ humores nunquam æqualiter premantur, sed reciproce pellantur, conquassentur, atterantur, mutentur, solvantur, minuantur, & sic aptiores reddantur, ut faciliori negotio ad omnia corporis puncta adcedere possint.

§. 10. Vasa pulmonis sanguinea (§. 2. 5. 8.) sunt subtilissima structura & minutissima; nam cellulæ Malpighianæ sunt ferè infinitè parvæ, (§. 3. n. 5.) sed harum intercapedines reti vasorum coronantur mirabili (§. 5.) hinc & structuram illorum minutissimam esse sponte liquet, ut mixtus cum sanguine chylus eo melius ope respirationis (§. 7. 8.) innumeris in locis atteri, diffringi & solvi (§. 9.) queat.

§. 11. Cum vero vasa descripta (§. 5. 10.) sint subtilissima; (§. 10.) impetus vero inruentis sanguinis sit magnus, (§. 8.) quis non videt, à quacumque demum adcedente causa, externa, vel interna, ea facile posse dilatari, disrumpi & erodi.

§. 12. Quando ergo ex hisce vasis (§. 2. 5. 8. 10. 11.) dilatatis, disruptis vel erosis (§. 11.), sanguinis spumosi,

puri,

puri, & coccinei coloris per asperam arteriam (§. 3, 4.) cum sensu pruriginosæ titillationis & moderati caloris tussiendo oritur ejectio, morbus vocatur Hæmoptöe.

§. 13. Causa est ens physicum, simplex, vel compositum, quod sufficientem rationem, cur alterum existat, in se continet. Dicendum igitur erit, quodnam sit illud, in quo ratio sufficiens est, cur effectus morbi sequatur.

§. 14. Ponamus hominem temperiei laxæ, cujus fibræ sint nimis debiles & teneræ: maneat vero impetus à corde impulsus, ut vasa ex fibris ejusmodi composita sic dilatentur, ne in pristinum contractionis statum se retrotrahere queant, erit actio solidorum & fluidorum inæqualis, i. e. actio expansionis superabit resistentiæ actionem. Sed fibra debilis est ægra, uti demonstravit *Schreiber*, quia adeo parum cohæret, ut vel levi motu non determinato solvi possit: facile hinc percipitur, impetu paulo majori facto, quam ut fibræ illum ferre possint, solutionem continui fieri. Adplicatis jam hisce ad vascula illa (§. 2. 5. 8. 10, 11, 12.) descripta, sponte prima sputi cruenti elucescit causa.

§. 15. Habitus plethoricus est ea corporis constitutio, quæ ex abundantia boni sanguinis mutationes illas ferre non potest, sine morbo inducto, quas ferret, si abundantia illa abesset. Si ergo nimia sanguinis copia in corpore (§. 14:) designato, vasa ultra solitum distendit, momentum resistentiæ superatur à momento pressionis, unde vasorum tenerrimorum disruptio. An vero sanguis bonus, densus, fibrosus, purpureus, pro causa præcipua & proxima materiali hæmoptöes judicandus? obstat observatio Hoffmanni.

§. 16. Quando sanguis tenuis, volatilis, acris, vasa perreptat minutissima, facillima oritur erosio: Sed vasa pulmonum sunt subtilissima & minutissima, (§. 10 11.) & quia sanguis acrimonia dotatus, hæc necessario transire debet, illa rodit, debilitat, rarefaciendo expandit, unde levissima quadam occasione data illorum substantiam sic prædispositam (§. 14, 15.) in rupturam adigit.

B §. 17.

§. 17. Pulmonum dispositio hæreditaria, mala conformatio, ætas, evacuationes solitæ suppressæ, ut consuetæ mensium & hæmorrhoidum excretiones morbum excitant. Sanguis enim per hasce vias exire consuetus, jam à quacumque demum causa retentus, majori quam solet copia circulatur, unde, quia vis vitæ augetur, & vasorum pulmonalium substantia tenerrima (§. 10. 11. 16.) est, impulsus adcelerato motu sanguis minima distendit vascula, unde disruptio & humoris rubicundi effusio.

§. 18. Contusio, obstructio, ictus, lapsus ab alto, nixus intensior, labor vehemens, magni oneris gestatio, cursus validus, alimenta, medicamentaque valde calida, acria, potus spirituosi, intempestivus balneorum, sudoriferorum, purgantium & emeticorum usus, crebræ frequentesque aëris mutationes, partus difficilis, excernendorum fœcum duriorum pressio, odorifera fortissima, tussis, risus, cantus nimius, venus sæpius agitata, sternutatio nimia, in corporibus (§. 14, 15, 16, 17.) descriptis facillime Hæmoptoën procreant.

§. 19. Signum est causæ alicujus, vel præsentis, vel præteritæ, vel futuræ cognitio. Præsentia nostri morbi adesse colligitur (1.) ex spumosi sanguinis floridi & coccinei coloris excretione (§. 12.); ex faucibus enim proveniens minori quantitate, minime spumosus, sed pituita permixtus, cum titillationis in illa parte sensu exspuitur. (2.) ex tussi, cum dolore levi, frequente. (3.) angusta circa præcordia oppressione, (4.) anhelitu, (5.) dolore gravativo undulatorio circa diaphragma, (6.) flatulentia in abdomine, (7.) extremorum refrigeratione, (8.) pulsu molli, (9.) sapore salso in ore antegresso.

§. 20. Distinguitur ab illo (1.) qui è naribus in fauces & pulmones descendit, ac inde postea screatu grumosus per os rejicitur, præcedente in palato titillatione, in capite dolore aut gravitate. v. *Hoffman*. (2.) Ab extravasato in thoracis cavitate, & per os ejecto sanguine, in pleuritide, quia in hac præter lateris dolorem præeuntem, sanguis minori copia,

pia, &pituita permixtus expellitur. (3.) Ab illo qui ex tracheæ tunica, quæ densa vasculorum rubrorum ramificatione obducta est, tussicula levi, pauca quantitate, pulmone non oppresso erumpit. (4.) Qui è larynge rejicitur, ex præcedentibus (*n.* 2.) cognoscitur signis, accedente illo, quod fere inscia mente fiat, (5.) Ex ventriculo provenire sanguinem, nigredo cruoris & grumosa coagulatio citra tussim satis indicat. (6.) A vomica rupta, per puris evomitionem & rejecti sanguinis detestabilem fere odorem facile discernitur.

§. 21. Signum futurum, seu prognosticum, pro varietate causarum periculosum est. Si vas magnum ruptum, periculum in mora; quo major enim excreti sanguinis copia, eo deterior: hinc nisi intra breve temporis spatium consolidatio fiat, inflammatio, suppuratio, ulcus, phthisis ægro lentam mortem pronuntiant.

§. 22. Pulmo vero cum omni momento aërem (§. 2. 3. 6--9.) & sanguinem (2. 8. 9.) excipere & expellere debeat, conjunctio autem solutionis continui quietem requirat, facile conligitur, magno vase rupto (§. 21.) curationem difficillimam fore.

§. 23. A vasorum erosione (§. 12. 16.) orta sanguinis rejectio ab auctoribus pro malo habetur vix curabili: sanguinis enim globuli acriores redditi minimorum vasorum fibras rodunt, & suppurationem, ulcus, phthisin inducunt, fovent, mortemque adpropinquare adlaborant.

§. 24. Si igitur à magno vase rupto, eroso, dilatato (§. 11. 12. 21. 23.) magna sanguinis copia redditur, sæpe ultimam cum cruore reddunt animam; hæc vero copia si retinetur, suffocantur.

§. 25. Ramorum minorum dilacerationem & sanguinis minori sequitur copia excretio; hoc si homini cæterum sano à causa contingit externa, convalescentiæ quædam futuræ adfulget spes. Si vero talem cui prostratæ sunt vires e. g. Cachecticum, Scorbuticum, vel Phthisicum

 in-

infestaverit sputum sanguinis, eo funestius censeri solet: acrimoniæ enim scatentis in his corporibus abundantia (§. 23.) mala eo citius adcelerat atque exacerbat.

§. 26. Quibus vero hoc malum prædicitur, illis plerumque comitati solent esse signis, quæ *Magnus Boerhaave Præceptor æternum venerandus* Aphorismo 1198. nervoso depinxit stilo, & quo L. B. conduco.

§. 27. Sine ullo vero sæpe graviore damno malum hoc tulisse observationes prostant, quibus consuetæ mensium & hæmorrhoidum excretiones (§. 17,) non per vias justas, sed per hunc locum amandantur.

§. 28. Curatio est illa corporis mutatio, ut ex ægro fiat sanum. Cum vero in casu præsenti, si corpus non mutaretur morbus pejor, vel mors cita sequeretur, incumbendum erit in id, quomodo illa corporis mutatio institui debeat, ut morbus pejor, vel mors non sequantur.

§. 29. Cum causæ nostri morbi in dilatatione (§. 14.) ruptione (§. 15.) erosione, (§. 16.) quam maxime consistant, ut has tollamus omnis cura adhibenda: sublata enim causa tollitur effectus.

§. 30. Quia in præsenti morbo vas ruptum est, (§. 14-25.) vis vitæ vero cordis permanet, (§. 8. 11.) quæ calorem auget, calor vero vasa dilatat, (per. exper.) & sanguis omni momento per pulmonem fluit; (§. 2.) jam vero hac data porta ab urgente à tergo sanguine exire cogitur, vis vitæ imminuenda erit. Sed venæ sectio vim vitæ & celeritatem sanguinis rite adplicata inhibet, illa ergo rite facta in hoc casu instituenda erit: nam vi vitæ imminuta & vasorum minuatur dilatatio necesse est, unde ruptorum unio eo felicius producenda.

§. 31. Cum ergo venæ sectio vim vitæ temperet, (§. 30.) qui primus est curationis nostræ scopus, ea extemplo erit instituenda. Locus sit vel brachia vel pedes, quod medici relinquimus indicationi: copiam vero quod spectat, si æger vires sufficientes habet ad uncias x. plus vel minus edu-

educendus erit, & ſi una evacuatio non ſufficit poſt modica intervalla prudenter iteranda.

§. 32. Si vero à materia acrimonia dotata (§. 16.) originem trahat Hæmoptöe, ægerque ſit debilis, nulla, vel ſaltem parva fiat venæ ſectio, illaque ſit eo parcior, quo major ſanguini inhæret acredo, ne animam cum pauca ſanguinis ſimul extrahamus quantitate.

§. 33. Medicamentum eſt inſtrumentum medici, quod corpori ægroto rite adplicatum, illud in ſanum mutat: ſed medicamentum in C. H. non agit, niſi vis ejuſdem adcedat corporis; in noſtro vero ægro vis vitæ major ponitur, quam requiritur, tale ergo inſinuandum illi erit, quod humorum æſtum demulcet, & vim vitæ debiliorem reddit. Refrigerantia hinc cum vaſorum capacitatem augeant, & conſequenter motum projectilem minuant, patet, quod hæc ad morbum noſtrum infringendum locum inveniant. Referuntur horum in cenſum omnia aquoſa, ſucci ex plantis nitroſis, acida blanda, moderate inviſcantia, oleoſa &c.

§. 34. Sanguis extravaſatus diluendus, reſolvendus, & per laryngem expellendus. Cruor enim circuli legibus amplius non ſubjectus in maſſam abit ſpiſſiorem, denique conrodentem ichoroſam, unde vaſa vicina eroduntur, novam ſic cauſant hæmoptöen, tandemque tabem lethalem. Ne igitur malum attrahat pejus, cruor qui eſt liquidarum molecularum præternaturalis coalitus in naturalem fluidum redigendus eſt ſtatum: hoc vero quia fit diluentibus & reſolventibus, hæc in hoc caſu adhibenda eſſe quis non videt. Rejiciuntur vero omnia acria, ut ſales volatiles, alcalini fixi, ex plantis incineratis, Spiritus &c. Commendantur vero ſapones nativi ex plantis & fructibus horæis, omnia quæ lubricant & detergunt, ut olea blanda, Hydromel, Vitel. ovor, manna, balſamica, &c.

§. 35. Diæta acrimoniæ peccanti opponenda. Cum enim humores ſint tenues acres (§. 16. 32.) mutandi ſunt in blandos ſpiſſiores per medicamenta (§. 33.) ſed quæ

ex Diætetica desumuntur hoc faciunt, ergo adhibenda. Lac hinc & lacticinia quam maxime conveniunt, humores incrassando tenues, acresque demulcendo; habenda tamen ventriculi ratio, ut successive ingerantur.

§. 36. Brachiis & femoribus lenissime sunt adplicanda ligacula, ne pars gangrænescat; sic enim minor per venas compressas versus cor, quam per arterias laxas ad exteriora sanguinis defertur copia. Cum vero per hoc impetus sanguinis, qui in morbo nostro quam maxime timendus compescatur, evidens est, artus laxe fasciis esse circumligandos.

§. 37. Adstringentia, cane pejus & angue, fugienda, licet inconsulto ore blaterent, quod hæc oscula reserata occludant, & vascula disrupta consolident. Blandum me hercle pollicitum! Sed, en! dicis ad tempus sanguinis fluxum sistunt, vera profers. Patuit vero ex hypothesi vasa esse debilia (§. 14-18.) & vim vitæ imminutam, (§. 30. 31.) ingeras jam adstringentia, conglutinantia, sanguis ergo hoc viscido infarctus, a superstite vi vitali in vascula pulmonum propelletur; sed hæc sunt subtilissima (§. 10. 11.) & in nostro casu debilia (§. 14. 15.) hinc impulsum & infarctum stagnat, adcumulatur, in conruptionem abit, inflammationem, suppurationem putredinem, empyema producit. Sed hæc mortem adcelerant, cum vita servanda foret, adstringentia ergo fugienda.

§. 38. Arctæ vestes demendæ. Per has enim externæ comprimuntur partes, internarum (quæ omnes inter se cohærent) similis erit conditio, minimis hinc venulis cutaneis constrictis, majorum major erit repletio, major sanguinis venosi ad cor dextrum adpulsio, major cordis intra idem temporis spatium contractio & expulsio, major infra idem tempus, in vascula (§. 10. 11.) descripta fluxus; quia vero nulla, vel saltem minima in pulmone resistentia, status vero corporis (§. 14. 15.) notatus adcedat, patet quod arctæ vestes in casu ubi solutio continui nondum facta, illam promoveant, in altero vero, ubi jam facta, plus detrimenti adferant. Arctæ vestes ergo in primo & altero aufe-

rendæ

rendæ casu. Respondebimus ergo facile: cur in gracili tenellaque amabilis sexus fabrica, pectus in angustias cogentis, ut junccum videatur hic mos tam perniciosus.

§. 39. Motus corporis & animi ægro nostro maximopere vitandi; musculorum enim actio sanguinis circuitum auget, & illum æquali temporis spatio citius per pulmones transire efficit; cum vero vas in nostro morbo ruptum sit, (§. 30.) unde hac data porta sanguis majori copia exire possit, sanguinis vero celeritas ante omnia imminuenda sit, (§. *eod.*) evidens est, hosce motus summopere esse fugiendos.

§. 40. Alvus adstricta laxa reddenda. In morbo nostro enim quam maxime contra sanguinis impetum militandum est; (§. 30.) in alvo adstricta vero cum conatus ægri exonerandi intestina crassa, impetum sanguinis augeant, indeque novam ejus effusionem producant, laxitatem illi procreandam esse nemo non videt. Clysma vero cum fibrarum laxitatem efficiat & foeces crassas sine ullo ægri incommodo eliciat, illud in hoc casu adhibendum erit.

§. 41. Aër sit frigidus & siccus. Calidus enim & frigidus celeritatem & impetum sanguinis augent, qui tamen moderandus (§. 30.) est, calidus ergo & frigidus fugiendi. Thermometrum hinc Fahrenheitianum ad calorem explorandum quam maxime conducit; hujus enim ope caloris gradus determinari possunt, unde pro lubitu aër emendari potest, ut scopo nostro inserviat. In nimis calido hinc conspersio aquæ frigidæ super pavimentum, vel justa aquæ cum nitro prosunt inprægnatio. Circumspectio vero habenda, ne calor subito imminuatur, quod vero indicium thermometri & medici præcavent judicium. Frigidus calore aucto & humidas suffimigiis morbo nostro non adversis conriguntur.

§. 42. Victus sit tenuis refrigerans, antiphlogisticus, sæpius, sed parva copia ingestus, ex decocto panis, orizæ, Hord. vel ejusmodi generis aliis, quæ *Celeb. Boerhaave* libellus de Mat. Medica, opus illud, quod nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas, sufficienter suggerit.

§. 43. Cura confirmans in causæ primariæ nostri morbi abla-

ablatione confiſtit; ſed illam poſuimus eſſe fibram debilem, quæ ægra eſt; (§. 14.) omne illud ergo, quod ſtatum fibræ mutat, & in fortem i. e. ſanum redigit, curat. Omnia jam quæ hoc perficiunt à *Cel. Boerhaave*, cujus nomen non tacebitur annis proxime ſecuturis, in Cap. de Fibra debili & laxa, ad umbilicum uſque excuſſa ſunt, huncce ergo fontem ut B. L. adeat rogamus.

§. 44. Hæc volui, neſcius ne eſſes, L. B. ſuperſunt omiſſa quam plurima. Interim ſcias, è fontibus optimorum auctorum hortulum meum inrigatum eſſe: Si me tamen ſubſannas, perpendas velim, non omnibus datum eſſe, naſum habere. Haud uno tempore naſcuntur ſcientiæ & adoleſcunt. Limam ultimam adhibere temporis prohibet penuria, iter parans in terras alio ſole calentes. Vale.

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

Nullibi in toto corpore major vitæ vis actio quam in pulmone.

II.

Pulmo eſt viſcus, quod neceſſario ad vitæ integritatem requiritur, contra T. Cranen.

III.

Hæmoptöe raro lethalis.

IV.

Nulla dantur medicamenta ſtricte ſic dicta antihæmoptoica.